lere discas, et videbis rei jucunditatem. Serm. 19 super *Epist. ad Ephes.*

144. Implentur Spiritu sancto qui psallunt; quemadmodum spiritu immundo, qui satanicas cantiones modulantur. *Ibid.*

145. Qui non attendunt, temere psallunt; verba duntaxat proferentes, corde interea alibi oberrante. *Ibid.*

146. Cogita quid psallas, intellige quid psalmi sibi velint. Homil. 4 super *Epist. ad Hebr.*

S. JOAN. CLIM. 147. Arma juvenum, psalmorum cantus. *Gradu* 4.

148. Ea, quæ canuntur, eloquia tune, speculare; et dum expectas ut versuum proximus finiat, intentius ora. *Ibid.*, gradu 18.

JOAN. TRITH. 149. Quemadmodum pulvis a vento dispergitur, sic adversarius noster diabolus, a voce psallentium cum humili devotione confusus et territus effugatur. Lib. 1, homil. 17, *ad Monachos.*

S. ISID. HISP. 150. Nihil est sola voce canere, sine cordis intentione. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 7., sent. 30.

151. Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studiis delectamur. *Ibid.*, sent. 31.

152. Psallendi utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. *Prosec.*

153. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad effectum pietatis animum eorum inflectit. *Ibid.*

154. Psalmorum decantatio, perpetuam Dei laudem demonstrat in gloria futuram : cujus operis ministerium quicunque fideliter intentaque mente exequitur, quodammodo angelis sociatur. *Ibid.*, sent. 33.

155. Psalterium cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia idcirco frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. *Prosec.*

156. Primitiva autem Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Lib. 1 *de Offic. Eccles.*, cap. 5.

157. Propter carnales in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo est instituta canendi : ut qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur. *Ibid.*

158. Hoc quisque meditetur corde, quod psallitur ore. In *Regula monachor.*, cap. 6.

LACT. FIRM. 159. Dei laudes canere et audire, jucundum est. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 21.

LUDOVICUS BLOSIUS. 160. Qui psalmum exacte non intelligit, credit tamen aliquid sancti esse in eo quod cantat, omnino sine fructu non est : Deus enim psallentis cor magis, quam verba attendit. *Prosec.*

161. Plane qui benigna et religiosa mente precatur, etiamsi lingua sibi incognita psallat, eximiam utilitatem eximiumque meritum refert. Lib. 2 *Enchirid. parvulor.*, cap. 14.

S. NILUS. 162. Psalmus sit in ore tuo. Deus enim nominatus fugat dæmones. *Parænes.* 41.

PETRUS BLESENS. 163. Si psallentibus non adsit devotio, licet eumdem psalmum millies repetant, non est hic psalmus jucunda decoraque laudatio. Epist. 86 *ad Alexandr. carthus.*

S. PETRUS DAMIANUS. 164. Auribus occulti judicis non tam strepitus vocis, quam clamor insonat cordis. Lib. 6, epist. 9, *ad Gebizon. abbat.*

S. PROSPER. 165. Bonum est in gloriam Dei psallere, non voce tantum, sed multo amplius modulatione rationabilis vitæ, quæ nullo tempore omittenda est. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

166. Nulla est canentium suavitas, nec est modulatio concinens, ubi est fides ac vita dissentiens. Super *Psalm.* CXLIX, vers. 1.

ROBERTUS BELLARM. 167. Qui cum acedia psallit, indicat se parum amare eum, cui psallit. Super *Psalm.* LXXX.

THEOPHI-LACTUS. 168. Psallendum est corde, hoc est, cum attentione : corde non huc illuc versante sese, et oberrante : qui enim animo observat quid psallat, ille corde psallit. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. v, in illud : *In psalmis et hymnis.*

THOMAS A KEMPIS. 169. Opus angelorum est Deum semper laudare, opus religiosorum est intenta mente psallere. *De Discipl. claustr.*, cap. 8.

S. VALER. EPISC. 170. Multum verbis honoris accrescit, si dulcisonos organi cantus, nulla mentis amaritudo confundat. Homil. 5 *de Oris insolent.*

171. Impleatur os nostrum cœlestium exultatione psalmorum. *Ibid.*, homil. 10 *de Parasitis.*

PUDICITIA.

S. THOMAS AQUINAS. *Etymologia.* Nomen pudicitiæ a pudore sumitur, in quo verecundia significatur, 2, 2, quæst. 151, art. 4.

COLLECTOR. *Definitio.* Pudicitia est continentia ab actibus, gestibus et signis venereis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Bonum munus pudicitia, sed minoris meriti, cum periculum abest : ubi vero etiam salutis periculo defenditur, ibi plenius coronatur. *De Joseph.*, cap. 5.

S. AUGUST. 2. De pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 5.

3. Ornet mores tuos pudicitia. Epist. 182 *ad Bonifac.*

4. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. In regula 3 *ad Clericos.*

5. Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. *De Bono viduit.*, cap. 5.

6. Pudicitia virtus est animi, comitemque habet fortitudinem. Lib. 1 *de Civitate Dei*, cap. 18.

7. Periniquum est, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. Lib. 2 *de Adulter. conjug.*, cap. 8.

8. Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia : ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. *De sancta virginit.*, cap. 8.

9. Pudicitia est res animi, virginitas corporis : denique illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri : et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciviæ voluntate corrumpi. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 8.

10. Vera pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. *Ibid.*

11. In impiis non reperitur pudicitia virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis : quia vera pudicitia non potest habitare in animo fornicante. *Ibid.*

12. Pudicitia castitatem custodit, avaritiam refrenat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias oppugnat, frandem omnino damnat. *De duodecim abusion.*, cap. 5.

13. Pudica vita famam bonam inter homines possidet, et de spe futuræ beatitudinis gaudet. *Ibid.*

14. Pudica vita bonis semper moribus delectatur et consentit, et assiduis meditationibus animam vegetat. *Ibid.*

15. Pudicitia est, alienas res non appetere, omnem immunditiam devitare, risum non excitare, verba vana et falsa non loqui, habitum per omnia ordinatum compositionemque convenientem corporis sicut decet habere, nulli contumeliam incutere, bonis non invidere, senes non irridere, cum indignis contubernia non inire. *Ibid.*

16. Pudicitia animæ est, appetitiones turpium cogitationum compescere, de semetipso nihil confidere, ante Dei oculos semetipsum constituere, catholicis per omnia consentire, Deo soli adhærere. *Ibid.*

17. Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœstorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Ibid.*

18. Nulla est pudicitiæ corporis, nisi ab integritate animi pendeat; qua dirupta, cadat necesse est, etiamsi intacta videatur. *De Mendac.*, cap. 7.

19. Ibi servari potest pudicitia, ubi nulla nisi voluntaria potest esse corruptio. *Ibid.*

20. Aliena libidine pudicitia non potest violari. *Ibid.*

21. Pudicitiam corporis non consentiente ac permittente anima, nemo violat. *Ibid.*, cap. 19.

S. CLEMENS PAPA. 22. Intantum pudicitia Deo est placita ut etiam his qui in errore sunt positi, nonnihil gratiæ in præsenti conferat vita. Lib. 7 *Recognit.*

S. CYPRIAN. 23. Pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore. *De Discipl. et habit. virgin.*, cap. 3.

24. Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. *De Bono pudicit.*, cap. 2.

25. Pudicitia solicita non est cui placeat, nisi sibi. *Ibid.*

26. Pudicitia verecunda semper est, dum innocentiæ mater est. *Ibid.*

27. Pudicitia semper ornatur solo pudore, nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. *Ibid.*

28. Pudicitia locum primum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis. *Ibid.*

29. Nihil tam sævum, tam durum, tam triste, quam cecidisse de alto pudicitiæ gradu. *Ibid.*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 30. Vera matronarum ornamenta pudicitia est, non vestes. Super 1 *Epist. Petri*, cap. III, art. 6.

S. GAUDENT. 31. Pudicitia sine circumcisione gulæ tuta custodiri non potest. Tract. *de Machab.*

S. GILLEB. ANGLUS. 32. Bona est pudicitia, si otiosa non est, non affectata, non ficta. Serm. 35 super *Cant. D. Bernard.*

GLOSS. ORD. 33. Nisi primum pudicitia sedeat in mente, nulla perfectio sequetur in opere. Super *Epist. Jacob.*, cap. III.

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Omnis pudicitia decori virgineo comparari non potest. Lib. 6 in I *Regum*, cap. 1 super illud *Psalm.* 44 : *Astitit Regina in vestitu deaurato.*

S. HIERON. 35. Habet et pudicitia servata martyrium suum. Epist. 8 *ad Demetriadem.*

36. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, et quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur. Epist. 9 *ad Salvinam.*

S. HIERON. 37. Multo melius est gressu vacillare, quam pudicitia. *Ibid.*

38. Utinam præconia fœminarum imitarentur viri, et rugosa senectus redderet quod sponte offert adolescentia. Epist. 10 *ad Furiam.*

39. Ubi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. *Ibid.*

40. Quanto plura sunt quæ impugnant pudicitiam, tanto victricis majora sunt præmia. Epist. 11 *ad Geruntiam.*

41. Non possunt habere pudicitiæ libertatem, qui serviunt dominatui nuptiarum. *Ibid.*

42. Difficile inter epulas servatur pudicitia. Epist. 47 *de Vitando suspecto contubernio.*

43. Sciant omnes inter gladios, et inter deserta et bestias, pudicitiam nunquam esse captivam. Epist. 52 *de Vita Malchi.*

44. In omni gradu et sexu tenet pudicitia principatum. Lib. 1 *adversus Jovian.*

45. Doctissimi viri vox est, pudicitiam in primis esse retinendam; qua amissa omnis virtus ruit. *Prosec.*

46. In hac muliebrium virtutum principatus est : hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. *Ibid.*

47. Mulieris virtus proprie pudicitia est. *Ibid.*

48. Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed majus præmium : temporalis custodia, sed remuneratio æterna est. Epist. 14 *ad Mauritii filiam.*

HUGO A S. VICTORE. 49. Pudicitia hominem a terra sublevat, angelis sociat, Deo conjungit, de terreno cœlestem, de carnali spiritualem facit. Super *Regul. D. August.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Pudica mulier secum habet custodem ac pædagogum, morum integritatem. Homil. super *Psalm.* XCIII.

S. JOAN. CL. 51. Pudicitia generale virtutum cognomen omnium est. Pudicus est ille, qui in somnis quidem nullum motum, nullamque status sui mutationem sentit. *Gradu* 15.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 52. Non sine labore ac negotio quisquam pudicitiam consequi potest. Lib. 2, epist. 62, *ad Paulum.*

S. NILUS. 53. Pudicitia continentiæ filia est. Orat. 2 *de Fornicat.*

PETRUS BLESENS. 54. Thesaurus pudicitiæ incomparabilis est; sola enim pudicitia vitam reformat angelicam. Epist. 35 *ad Anselmum sanctimonial.*

55. Jactura pudicitiæ non recipit æstimationem. *Ibid.*

SALVIANUS. 56. Difficile est impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata : et difficile pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta. Lib. 7 *de Gubern. Dei.*

TERTULL. 57. Pudicitia est flos morum, honor corporum decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis. *De Pudicitia*, cap. 1.

58. Gravitas adjutrix et socia pudicitiæ est. *De cultu fœminar.*, cap. 8.

59. Pudicitiæ christianæ satis non est esse, verum et videri : tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emaneat ab animo in habitum, et eructet a conscientia in superficiem. *Ibid.*, cap. 13.

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 60. Pudicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit, facillime cognoscit : est enim tantæ virtutis, ut sit honorabilis etiam hostibus suis. Serm. *de Pudicitia.*

61. Beata est pudicitia, cum alludit pueris : beatior, cum adolescentibus lapsus sollicite timet : beatissima, cum in juvenibus carnalia extinguere laborat incendia. *Ibid.*

62. O quantum es miranda pudicitia! quæ aliter laudari te non vis quam ut custodiaris solo bonæ conscientiæ ornamento contenta, tu in virginibus felix, in viduis fortis, in conjugiis felix, in sacerdotibus pura, in martyribus gloriosa, in angelis clara, in omnibus regina. Tu nunquam carni, nunquam ulli subjaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatem ipsam paris : quia voluntas fit voluptas postmodum tua, cum per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque colligis fructus, tu in pauperibus dives, in divitibus ditior, æqualis in omnibus consummaris, tu es honor corporum, tu thesaurus animarum, tu fundamentum, culmen, ac fructus omnium eœquarum, tu tui propositi insolubilis nodus æternus, per te legitima jejunia celebrantur, per te allegatæ priusquam fundantur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo charum, tu legitimum Dei templum, sacrarium pudoris, in te corruptio intrare non novit, per te sæculum vincitur, concupiscentia omnis eliditur, diabolus subjugatur, per te spiritus sanctus inducitur, glorificatur Christus, Deus Pater omnipotens propitiatur, postremo illa felix in futurum regnabit, qui tecum illo pervenerit. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

BIAS PHILOSOPH. 63. Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica. Ex *Dictis Sapient. ex Ausonio*, dict. 4.

CICERO. 64. Suæ pudicitiæ proditor, est insidiator alienæ. Lib. 4 *de Arte rhet.*

SENECA. 65. Expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes sunt suæ. Lib. 1 *Controvers.*

66. Pudicæ sæpius sunt, quæ malam faciem habent : non quia animus illis deest, sed corruptor. Lib. 2 *Controvers.*

67. Magnus pudicitiæ fructus est, pudicam credi. *Ibid.*, controvers. 15.

68. Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Lib. 2 *de Ira*, cap. 13.

69. Constante tibi pudicitia, virtus salva est. *De beata vita*, cap. 13.

70. Unicum tibi ornamentum, pulcherrima, et nulli obnoxia ætati, forma : maximum decus, visa est pudicitia. *De Consolat. ad Helviam.*, cap. 16.

SIXTUS PHILOSOPH. 71. Omne membrum corporis, quod invitat te contra pudicitiam agere, abjiciendum est. *Sent.* 10.

72. Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. *Ibid.*, sent. 226.

73. Mulier pudica, gloria viri est. *Ibid.*, sent. 228.

Vide etiam tit. *Aurum*, sent. 56; *Conjugium*, sent. 29, 30; *Familiaritas*, sent. 24; *Judicium in genere*, sent. 23, 25; *Maria*, sent. 204; *Multiloquium*, sent. 17; *Sanctitas*, sent. 12; *Virtutum connexio in genere*, sent. 46, 49; *Virtutum connexio in specie*, sent. 212.

PULCHRITUDO.

S. AMBROS. *Definitio.* Illa vera est pulchritudo, ut in singulis membris, esse quod deceat, et in toto ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo glorietur. Lib. 2 *Hexamer*, cap. 5.

S. AUGUST. Omnis corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 19.

S. BASILIUS MAGNUS. Pulchritudo est in membrorum compositione concinnitas, efflorescentem vitam habens. Conc. 11, super *Psalm.* XLIV, vers. 5.

S. THOMAS AQUINAS. Pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata, cum quadam debiti coloris claritate. 2, 2, quæst. 145.

S. HIERON. *Comparatio.* Sicut herba mane crevit, floruit, et siccatur, ad vesperamque indurescit et deperit : ita erit omnis hominum pulchritudo. Epist. 17 *ad Cyprianum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non sit affectatus decor corporis, sed naturalis; simplex, neglectus magis quam expetitus. Lib. 1 *Offic.*, cap. 19.

2. Pulchritudinem quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur, a rege, probatur a judice, dicatur Domino, consecratur Deo? Lib. 1 *de Virgin.*

3. Hæc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest. *Ibid.*

4. Pulchritudo corporis vel morbo peritura, vel senio, omnibus noxia est casibus. *Ibid.*

5. Pulchritudo audita nec visa, plus desideratur duobus stimulis cupiditatum, amoris scilicet, et cognitionis. *Ibid.*, lib. 2.

6. Nihil ad vos si petulantibus oculis expetitur pulchritudo : ars desit, nullum est crimen deco-

ris : illecebra facessat, inoffensa est species, et formæ gratia. Lib. 7, epist. 14 *ad Constantium.*

7. Non te vincat formæ concupiscentia; adulterina est fucis illita; nequaquam vero ac sincero fulgens decore. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 5.

S. ANSELM. 8. Pulchritudines justorum solis pulchritudini qui septempliciter quam modo sit splendidior erit, adæquabuntur. *De Similitudinibus*, cap. 50.

S. ANTONIN. 9. Pulchrior est vir muliere, sed species mulieris magis allectiva, quam species viri. Part. 1, tit. 1, cap. 2, § 2.

10. Vana est pulchritudo, cito amittitur; et nisi cum amore Domini conjungatur, occasio est multorum malorum sibi et aliis. Part. 2, tit. 4, cap. 6.

11. Mirum est quomodo mulier quærat summopere omnia habere pulchra, et animam ipsam, quæ nobilior est, et præcipuum in homine, velit habere fœdam et maculatam. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

12. Certe erubesceret domina domus, si videret se turpem, et ancillam pulchram : ancilla caro est, anima domina, unde multum erubescere debet mulier, quod corpus pulchrum appareat, anima vero maculis plena inveniatur. *Ibid.*

13. Pulchritudo in tribus consistit : in debita corporis qualitate, et quantitate; in eleganti membrorum dispositione, et proportione; in coloris venustate. Part. 4, tit. 15, cap. 11, § 1.

S. AUGUST. 14. Pulchrum per seipsum consideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est. Epist. 5 *ad Marcellinum.*

15. Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In *Enchyridio*, cap. 10.

16. Quam fallax et suspectum, quam instabile et transitorium est, quidquid species, aut temporalis pulchritudo promittit! *De Spiritu et anima*, cap. 49.

17. Anima hominis figitur in pulchris extra te, Deus, et extra se : quæ tamen nulla essent nisi essent abs te. *Prosec.*

18. Quæ oriuntur et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt : et crescunt ut perficiantur et perfecta senescunt et intereunt : ideo quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinantur ut non sint. Lib. 4 *Confessionum*, cap. 10.

19. Interiore pulchritudine Christo placete : hanc pulchritudinem studiosa cura, et sollicita cogitatione componite; non amat ille fallaciarum fucos, veris veritas delectatur. *De Bono viduit.*, cap. 19.

20. Pulchritudo corporis bonum quidem Dei donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Lib. 15 *de Civit. Dei*, cap. 22.

21. Non quærit a vobis Christus pulchram car-

nem, sed pulchros mores, quibus frænetis et carnem. *De sancta virginitate*, cap. 55.

22. Qui pulchritudine delectantur, si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? Tract. 32, super *Evang. Joan.*, cap. 7.

23. Plus est pulchritudo, quam pulcher : pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem. *Ibid.*, tract. 39, cap. 8.

24. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aeris, interroga pulchritudinem cœli : pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in seipso? Serm. 4, *Fer.* 2, *Paschæ*.

25. Tanto magis est corpus, quanto speciosius est atque pulchrius : tantoque minus est, quanto fœdius ac deformius. *De Immortalitate animæ*, cap. 8.

26. Pulchrius est corpus, quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa membra singula. Lib. 13 *Confess.*, cap. 28.

27. Pulchras formas et varias amant oculi. *Ibid.*, lib. 10, cap. 34.

28. Fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim ; qui bonus es, bona sunt enim ; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. *Ibid.*, lib. 11, cap. 4.

29. Corpori non est hoc esse, quod pulchrum esse, alioquin deforme esse non posset. *Ibid.*, lib. 13, cap. 2.

30. Pulchra sunt omnia faciente te, et ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia. *Ibid.*, cap. 20.

31. Cum cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli. Lib. 1 *de Genesi contra Manichæos*, cap. 11.

32. Omnia pulchra sunt conditori et artifici suo. *Ibid.*, cap. 16.

33. Omnis pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto, quam in parte. *Ibid.*, cap. 21.

34. Amor inferioris pulchritudinis animam polluit. Lib. 6 *de Musica*, cap. 14.

35. Cujus pulchrum corpus, et deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet et corpus. Lib. 4 *de Doctrina christiana*, cap. 28.

36. Tanto pulchrius est corpus, quanto similioribus inter se partibus constat. *De Genesi imperf.*, cap. 16.

37. Corporis membra etiamsi singula pulchra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchriora. Lib. 3 *de Genesi ad lit.*, cap. 24.

38. Fatigare nos non debet incerta eorum pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. In *Enchirid.*, cap. 92.

39. Corporis pulchritudo, temporale, carnale, infimum bonum est. Lib. 16 *de Civit. Dei*, cap. 22.

40. Si senex eris, pulcher non eris. Tract. 32 super *Joan.*

41. Pulcher es jam, sed noli te attendere, ne perdas quod accepisti, illum attende a quo factus es pulcher. Tract. 9 super *Epist. Joannis*.

42. Erimus pulchri amando eum qui semper est pulcher : ideo sis pulcher, ut Deus amet te. *Ibid.*

43. Juventa citius vernis floribus defluit, et corporis pulchritudo aut morbo aut tempore marcescit. Epist. 42 *ad Maxim. philosophum*. S. BASILIUS MAGNUS.

44. Felix pulchritudo, quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem. Serm. 25 super *Cant.* S. BERNARD.

45. Fœda admota pulchris, pulchriora reddunt, magisque fœda reddantur. Epist. 78 *ad Suggerium abbat.*

46. Deus non delectatur in pulchritudine corporis, sed in pulchritudine mentis. Serm. 64 *ad Sorores*.

47. Quando homo gaudet de pulchritudine corporis, mens ejus elongatur ab amore Creatoris. *Ibid.*, serm. 9.

48. Pulchritudo corporis fallax est, vana est, terra et cinis est, deceptio est hominis. *Ibid.*, serm. 64.

49. Te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Lib. 3 *de Consolat. philos.*, prosa 8. BOETIUS.

50. Probis animis proprium decus, aliena non decerpit improbitas. *Ibid.*, lib. 4, prosa 3.

51. Illud recte speciosum dicitur, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur. Super *Psalm.* XLIV, vers. 3 : *Speciosus forma*. CASSIODC

52. Qui pulcher esse desiderat, quod est in homine pulcherrimum ornandum est : nempe mens, quam oportet quotidie pulchriorem et magis decoram ostendere. Lib. 3 *Pædag.*, cap. 3. CLEMENS ALEX.

53. Fallax certe, et ruinæ maximæ, propinquus casus, inevitabileque periculum est fœminæ pulchritudo. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi*. S. CYRILLI HIEROSOL.

54. Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Lib. 14 *Moral.*, cap. 8, num. 8. S. GREGOR. MAGNUS.

55. Nihil prodest gloriosissima sanitas, et pul-

chritudo in superficie corporis, si vulnus animæ latet intrinsecus. Lib. 2 in *Registro*, indict. 11, cap. 96, epist. 57. *ad Italicam Parriciam*.

56. Nulla pulchritudo, quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. *In septem. Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers 8.

S. GREGOR. NAZ. 57. Pulchritudo externa tanquam insidiatrix ac deceptrix, et quæ a Deo segregat, despicienda est. Orat. 10 *in funere S. Basilii*.

58. Si pulchritudinem quis nactus est, pulchritudini pulchritudinem addat, animæ nempe, non corporis. Orat. 25.

59. Vera pulchritudo apud filios hominum nullo unquam tempore ab extra se præstandum præbet, verum obtutum ad internum flectit hominem. *Ibid.*

60. Pulchritudo manifesta non celatur, at occulta a Deo cernitur. Orat. 28.

61. In hac parte, quæ in aspectum cadit, deformis es : fac ea pulcher sis, quæ ab oculorum sensu remota est. Hab. apud D. Joan. Damascen., lib. 2 *Parall.*, cap. 74.

62. Nunquam de formis mulierum disputes. Epist. 21, *ad Nepotian*.

63. Illa fit pulchra, quæ se nescit esse pulchram : quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum, non pectus et colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. *Ibid.*, epist. 8 *ad Demetriad.*

64. Nitens cutis, sordidum ostendit animum. Epist. 47 *de Vitando suspecto contubernio*.

65. Amor formæ, rationis oblivio est, et insaniæ proximus : turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, ea magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. *Prosec.*

66. Querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos : omnibus inutiles, ipsi novissime amori facit : nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, et ipsi novissime sibi odio est. Lib. 1 *adversus Jovian.*

67. Si formis mulierum quispiam delectetur, per oculorum fenestras animæ capta libertas est. *Ibid.*, lib. 2.

68. Vultus prius pulcherrimus fœminarum, ad tantam postea transit fœditatem, ut amor in odia commutetur. Epist. 17 *ad Cyprian.*

69. Satis pulchram Deo crede faciem tuam, si hominibus pulchra apparere non studeas. Epist. 1 *ad Demetriad.*

70. Ubi est illa pulchritudo? heri apparuit quasi flos, hodie flos ipse non comparet : heri virebat herba, hodie siccata est. Super *Psalm.* XCI, vers. 7.

71. Tanto exterior pulchritudo diligitur, quanto interior minus curatur. Super *Regul. D. August.*, cap. 9. HUGO A S. VICTORE.

72. Ex pulchritudine mulierum, voluptas carnis nascitur. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 4.

73. Sicut ineptum est deformia pulchris conjungere, sic omnino indecens est, ea quæ non habent, nisi infirmam quamdam et imaginariam pulchritudinem, pulcherrimis coæquare. In *Soliloquio de Arrha animæ*.

74. Prædicator triplici pulchritudine constat : sententia pulcher, utilitate pulchrior, honestate pulcherrimus. Super *Prov.*, cap. XV. HUGO CARD.

75. Pulchritudo semper est in præteritione et transitu et defectu, sed ad ultimum perfecte peribit. Super I *Cor.* VII.

76. Pulchritudo, vel fœditas animæ, virtutum seu vitiorum gignitur qualitate. Collat. 3 *Abbat. Paphnutii*, cap. 8. JOAN. CASS.

77. Corporis formositas tam fragilis ac instabilis est, ut superveniens morbus repente omnem illam formositatem obscuret. *Prosec.* S. JOANNES CHRYSOST.

78. Nonnunquam si invaserit senectus, facies quæ antea formosa erat, fit indecora et injucunda : mors autem supervenions omnem corporis pulchritudinem corrumpit. Homil. 28 super *Gen.*

79. Speciosa mulier sepulcrum est dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Hom. 1 super *Psalm.* 50.

80. Pulchritudo sine virtutibus, præcipitium est patens, venenum insipientibus compositum. *Ibid.*

81. Decus corporis infirmitate marcescit, et pulchritudo ægritudine tabescit : animæ autem pulchritudo immortalis est, et æterna. *Ibid.*

82. Cum mulier pulchra concupiscitur, pulchritudo non est in culpa ; quia pulchritudo Dei est donum. *Ibid.*

83. Nulla alia corporis pulchritudo est, nisi staturæ compositio, et flos qui ab anima corpori conceditur. Homil. 36 super *Matth. Oper. perf.*

84. Mulieribus non solum curæ est formositas atque corporum pulchritudo ; hæc est illarum gloria, hæc salus, magna vero atque sublimia virtutis opera, nec summa quidem videre vellent. *Ibid.*, homil. 74.

85. Corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur : cum vero melius apparuerit, illa prior despicitur. Homil. 76 super *Joan.*

86. Qui tristis et mœstus et cogitabundus est, licet pulcher sit, multum tamen pulchritudini de-

trahit, hilaris autem formositatem auget. Homil. 7 super *Acta Apost.*

87. Ex bonitate vultus nihil emolumenti, ex pulchritudine autem animæ tanta licet bona lucrari, quanta congrue possidet, qui Deum habet amatorem. Homil. in dictum Apost. *Utinam tolerassetis.*

88. Diurna exercitatio, et labores, et tolerantia, et moderata mensa, et virtus simplex, et mediocritas stabiliora corpora reddunt, et formam præterea plurimum juvant. Homil. 39 super I *Cor.*

89. Externa corporis pulchritudo plena est multæ superbiæ et arrogantiæ, atque in zelotypiam conjicit, absurdaque plerumque suspicari. Serm. 20 super *Epist. ad Ephes.*

90. Quid cœlo pulchrius? quid pulchrius astris? sed consuetudo facit, ut talis ac tanta pulchritudo non ita stupefaciat homines. *Ibid.*

91. Benevolentia, animus modestus, mansuetudo in uxoribus, istæ sunt pulchritudines. *Ibid.*

92. Maximis et innumeris incommodis pulchritudo subjecta est. Homil. 4 super II *ad Thess.*

93. Qui habet uxorem eximiæ pulchritudinis, nihil ea reputat esse deterius, quando illa pulchritudo suspicioni maxime præbet locum. Homil. 1 super II *ad Tim.*

94. Vis apparere pulchra? pulchritudinem corporis contemne, et animam orna. Homil. 28 super *Epist. ad Hebr.*

95. Et si totum mundum constituas, nihil in comparatione animæ pulchritudinis deputatur: illa pulchritudo semper floret, semper viget. *Ibid.*

96. Corporis pulchritudo fugit antequam clareat; sed etiam cum apparet, nullos pudicos habet admiratores. *Ibid.*

97. Pulchritudinis corporis substantia est pituita, sanguis fluidus, atra bilis, succus cibi bene mansi: talibus pigmentis oculi, genæ, et reliqua membra venustantur. Epist. 5 *ad Theodor. laps.*

98. Vis pulchra et honesta videri? contenta sis Creatoris tui figmento. Quid aurea ornamenta inducis, tanquam figmentum Dei correctura? *Prosec.*

99. Vis decora et honesta apparere? indue misericordiam, indue benignitatem, indue temperantiam et animi modestiam. Cuncta hæc auro sunt pretiosiora, ista pulchritudinem quoque venustiorem efficiunt, ista etiam eam quæ formosa non est, formosam reddunt. Serm. 10 super *Epist. ad Coloss.*

100. Decor atque pulchritudo certamina, intendit, majoresque calumnias atque pericula, suspicionesque quamplures parit. *Prosec.*

101. Ea vero quam non hujusmodi decor illustrat, suspicione carebit: quæ autem formosa est, nisi magno studio, et nimia utatur continentia atque honestate, opinioni protinus pessimæ locum dabit. Homil. 4 super I *Tim.*

102. Nihil profecto habet amplius mulier, quæ formosa fuerit, quam deformis: sed ea merito plus habere pulchritudinis dicitur, quæ merito virtutis excellit. *Ibid.*

103. Quid est mulier pulchra? sepulcrum dealbatum, nisi pudicitia prædita sit: etenim pulchritudo et morbo flaccescit et morte interrumpitur. Lib. 1 *Parall.*, cap. 76. S. JOANNES DAMASC.

104. Omnis pulchritudo mundi, a summa pulchritudine formata est. Orat. 7 *in Conventu abbat. habita.* JOAN. TRITH.

105. Qui per amorem pulchritudinis creaturæ a Creatoris forma se abstulit, rursum per creaturæ decorem ad Creatoris pulchritudinem revertatur. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 4, sent. 2. S. ISID. HISP.

106. Omnis hominis pulchritudo non ex corporali, sed ex spirituali ejus natura provenit. *De interiori conflictu*, cap. 7. S. LAURENT. JUSTIN.

107. Vera pulchritudo est spiritualis, et mentis tantum oculo conspicitur. In *Speculo spirit.*, cap. 3. LUDOVICUS BLOSIUS.

108. Quid est caro quantumlibet etiam pulchra et elegans appareat, nisi stercus, et putredo, et ingens fœtor? *Prosec.*

109. Si detrahatur pellis illa tenuissima, quæ magnam pulchritudinem præ se fert, jam ipsa caro tota deformis erit. In *Speculo spirit.*, cap. 4.

110. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincuntur specie qui non vincuntur prælio. Homil. 20 in cap. XXV, *Numer.* ORIGENES.

111. Pulchritudo momentanea pene prius marcescit quam floreat. *De Joseph.* PHILO JUD.

112. Quidquid speciosum videtur sensibus, a sola pulchritudine animæ, ut imperfectum vincitur. *De verbis: Respuit Noe.*

113. Venustate ac decore non indiget quod perfectum est. In *Encomio Calvitii.* S. SYNESIUS EPISCOPUS.

114. Ubi pudicitia, ibi vacua est pulchritudo: quia proprie usus et fructus pulchritudinis corporis est luxuria. *De cultu fœminar.*, cap. 3. TERTULL.

115. Dignitas formæ angelis Dei non est necessaria, quæ possidentibus est gravis, appetentibus exitiosa, conjunctis periculosa, exposita tentationibus, circumdata scandalis. *Ibid.*

116. In pulchritudine gloriari, vanissimum est et vitiosum. *De Discipl. claustr.*, cap. 12, sect. 2. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

117. Pulchritudo consistit in colore figuraque, oblectantibus moderatisque. Lib. 4 *Theolog.*, cap. 5. ARISTOTEL.

118. Si quispiam dicat pulchritudinem inveniri in corpore; etiam dicimus quod illa est naturæ: sed pulchritudo animæ existit melior, ut a qua formositas naturæ procedit. *Ibid.*, cap. 5.

119. Formæ dignitas aut morbo defloreseit, aut vetustate extinguitur. Lib. 4 *de Arte rhet., ad Herenn.*

120. Sicut corporis est quædam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulchritudo: sic in animo opinionum judiciorumque æqualitas et constantia, cum firmitate quadam virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. Lib. 4 *Tusc. quæst.*, num. 31.

Vide etiam tit. *Animus*, sent. 57; *Aspectus*, sent. 85; *Beatitudo*, sent. 67; *Christus*, sent. 17; *Concupiscentia*, sent. 79; *Facies*, sent. 17; *Fucus*, sent. 20, 21, 32, 33; *Homo*, sent. 53; *Mensa*, sent. 24; *Meretricium*, sent. 82; *Mores*, sent. 60; *Oculus*, sent. 10; *Ornatus*, sent. 77, 78, 79; *Placere*, sent. 8; *Vita æterna*, sent. 34, 35.

PUNITIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Impunitate nutritur audacia. *De Noe et arca*, cap. 10.

S. ANTONIN. 2. Nullus punitur sine culpa, quia pœna est mensura culpæ: ubi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet. Part. 1, tit. 20, cap. 1.

3. Licet videatur multis crudelitas punire reos ad mortem, et graviter punire crimina; non tamen crudelitas, sed justitia et charitas est. Part. 2, tit. 8, cap. 6, § 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Vere peccans, alterius peccatum castigare non valet. Serm. *Dom.* 4, *post Trinit.*

S. AUGUST. 5. Quique magnopere observent, cum vindicant, ne nimium sit: cum ignoscunt, ne parum. *Prosec.*

6. Nihil puniant, quod non valeat ad melius, nihil indulgeant, quod vertat in pejus. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 8.

7. Non frustra instituta sunt potestas regis, vis gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris, habent omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. *Prosec.*

8. Hæc cum timentur, coercentur mali, et quietius inter malos vivunt boni. Epist. 54 *ad Macedonium.*

9. Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. *Prosec.*

10. Eo modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit. Epist. 54 *ad Macedonium.*

11. Pertinet ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 16.

12. Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. *De natura boni*, cap. 9.

13. Ille justus punitor, qui non habet quod in illo puniatur: ille justus reprehensor, qui non habet quod in illo reprehendatur. Super *Psalm.* L, vers. 5: *Tibi soli peccavi.*

14. Omnis iniquitas parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante: nam quem pœnitet, punit seipsum, aut punis, aut punit: vis non puniat: puni tu. Super *Psalm.* LVIII, vers. 6.

15. Sæculi lætitia est impunita nequitia. *De verbis Dom.*, serm. 37.

16. Non est crudelitas punire reatum, sed justitia: non tyrannicum, sed divinæ rectitudinis judicium. Serm. 14 *ad Fratres in eremo.*

17. Nulli peccatori impunitas est relaxanda. Habet. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Duo*, § *Ita.*

18. Peccans creatura superior, a creaturis inferioribus punitur. Lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 9.

19. Voluntas punitur, sive animi supplicio, sive corporis: ut quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis. Epist. 49, quæst. 4.

20. Laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur. Epist. 106.

21. Deus nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Lib. 8 *de Gen. ad litt.*, cap. 23.

22. Quibusdam punitis, plurimi corriguntur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 1.

23. In miseria generis humani laudatur justitia punientis. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 24.

24. Si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia Dei crederetur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 8.

25. Merito malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. *Ibid.*, lib. 16, cap. 4.

26. Deus nec justo, nec peccatori parcit, illum flagellando ut filium, illum puniendo ut impium. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 20.

27. Liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset. *Contra Fortunatum*, disput. 2.

28. Humanæ leges puniunt peccata etiam a Deo remissa. Lib. 3 *de Anima et ejus orig.*, cap. 9.

29. Nullum Deus punit indignum. Lib. 5 *contra Julian.*, cap. 3.

S. BERNARD. SENENS. 30. Nulla in principatu bestia sævior, quam impunitas delinquendi. Serm. 20, art. 2, cap. 4.

S. BERNARD. 31. Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Serm. 42 super *Cant.*

32. Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset; aut parcas ei qui fuerat puniendus. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

33. Impunitas injuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ. *Ibid.*, lib. 3.

34. Impunitas ausum parit, ausus excessum. *Ibid.*, lib. 4.

35. Malum impunitum esse non potest : si non punitur hic propria voluntate, punietur alibi sine fine. In *Declamat.*

BOETIUS. 36. Multo infeliciores improbi sunt injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. *Prosec.*

37. Sed punire improbos, justum : impunitos vero elabi, iniquum esse manifestum est. Lib. 4, *de Consolat. philos.*, prosa. 4.

S. CÆSARIUS ARELAT. 38. Justitia non punit, quod natura compellit. Homil. 5.

CLEM. ALEX. 39. Castigatio est bono et utilitati ejus qui castigatur. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 8.

DIDYMUS. ALEX. 40. Si quis per ignorantiam labitur, hunc minime æquum est pœna affici : is demum supplicio affici debet, qui improba animi affectione peccat. Habetur apud D. Joannem Damascenum, lib. 2 *Parall.*, cap. 28.

S. DIONYS. AREOPAG. 41. Non est malum puniri, sed dignum esse supplicio, malum est. *De divin. nomin.*, cap. 4.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 42. Punire malum, charitas est. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

FRANCISCUS TITELMAN. 43. In eo in quo quis offendit, dignus est puniri. In *Elucidat.*, super cap. XXXI *Job.*

GELAS. PAP. 44. Semel in abolitione remissa punitio, recidivo dolore non debet iterari. Epist. *ad Geruntium, Joannem, Germanum et Petrum episcopos.* Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Si illic.*

GLOSS. DEC. 45. Commissum est scleratius, quod punitur durius. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 46. Non solum qui faciunt, puniuntur; sed et qui consentiunt facientibus. Super *Levit.*, cap. 20, in illud : *Qui consenserunt ei.*

GLOSS. ORD. 47. Nescit impius mala quæ fecit, nisi cum puniri cœperit. Super *Job*, 17 : *Cum reddiderit, tunc sciet.*

48. Maxima consolatio iis est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio. Super illud *Ezech.* 7 : *Et scietis quia ego Dominus.*

GLOSS. INT. 49. Qui æqualiter peccant, æqualiter punientur Super *Oseæ*, cap. 4.

GRATIANUS 50. Nihil prodest alicui non puniri de proprio, qui puniendus est de alieno peccato. In *Decret.*, part. 1, dist. 86, can. *Facientis.*

51. Magis diliguntur illi, qui puniuntur, quam qui impuniti relinquuntur. *Ibid.*, part. 2, can. *Si non*, § *Quod vindicta.*

52. Uniuscujusque nequitia eo fit ad perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Lib. 33, *Moral.*, cap. 4. S. GREGOR. MAGNUS.

53. Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. *Prosec.*

54. Plerumque mentem sub obtentu justitiæ, iræ immanitas vastat : et dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, justeque se facere æstimat quidquid ira nequiter dictat. *Ibid.*, lib. 26, cap. 28, num. 36.

55. Melius est pro multorum salute, ut unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, cap. 31, epist. 31, *ad Felicem episcopum Siciliæ.*

56. Non est crudelitas, pro Deo crimina punire, sed pietas. In *Regula monachor.*, cap. 6 *de Correctione.* S. HIERON.

57. Homo ad hoc punit, ut perdat : Deus ad hoc corripit, ut emendet. Lib. 3, super *Oseam*, cap. 11, super illud : *Quomodo dabo te, Ephraim?*

58. Melius est pro multorum salvatione, ut puniatur unus, quam per unius exemplum plurimi periclitentur. Super *Regul. D. August.*, cap. 7. HUGO A S. VICTORE.

59. Dominus semper punit citra meritum peccatoris, et tamen juxta debitum, id est, quantum debet, et quantum prævidit. Super *Num.*, cap. 15. HUGO CARD.

60. Dominus punit malos pœna particulari, ut aliis qui non puniuntur, licet sint mali, corrigantur. *Prosec.*

61. Quandoque punit malos generaliter, et tunc bonos jubet separari a malis, ne involvantur a pœna, et ut cautiores fiant visa pœna malorum. *Ibid.*, cap. 16.

62. Justos misericorditer hic punit Deus, ne puniat in futuro, vel ut minus puniat. Super *Deut.*, cap. 8.

63. Justum est, ut per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur. Super *Prov.*, cap. 20.

64. Non est voluntatis Dei mors nostra, sed salus : quia ejus proprium est misereri, et coactus punit. Super *Ezech.*, cap. 18.

65. Deus punit ex justitia, et Deus punit ex misericordia. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 9.

66. Malum peccanti non est, eo quod punitur : sed hoc malum est, eo quod cum peccando male habeat, non punitur. Serm. 9 super *Epist. ad Rom.* S. JOANNES CHRYSOST.

67. Punitio mater est salutis. Homil. 14, super II *Cor.*

68. Deum offendisse, quam puniri gravius est. Homil. 48 *ad Populum Antioch.*

69. Beatus ille maxime est, qui hic punitur, ut omnibus abjectis delictis, probatus et purgatus hinc exeat, et innocens. Homil. 5 super *Epist. ad Hebr.*

70. Sponte nostra peccata puniamus, ne pendamus non sponte supplicia. *Ibid.*, homil. 31.

S. JOANNES DAMASC. 71. Non ii duntaxat, qui impie se gerunt, puniuntur : sed ii etiam, qui cum alios ab impietate abducere queant, ob segnitiem tamen ac socordiam id facere recusant, eadem pœna afficiuntur. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

LACT. FIRM. 72. Judex integer ac bonus dicitur, cum indifferenter malefacta vindicat. *De Ira Dei*, cap. 17.

73. Bonorum salutem custodit, qui malos punit. *Ibid.*

74. Nemo prudens punit, quia peccatum est : sed ne peccetur, punit. *Ibid.*, cap. 18.

PETRUS BLESENS. 75. Impunitas est negligentiæ filia, contumaciæ mater, radix peccati, nutrix adulterii et incestus, mortis æternæ præambula, præparatrix inferni. Tract. *de Inst. episc.*

76. Per impunitatem, impiorum malitia convalescit; per hanc in suis stercoribus miseri computrescunt. *Ibid.*

PHILO JUD. 77. Quid opus est pœnas ab insontibus exigere? Qui solus peccavit, solus puniatur. Lib. *de Joseph.*

SALVIANUS. 78. Ipse sibi parat peccator quod patitur : nihil itaque, nihil in nos crudelius nobis : nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. *Prosec.*

79. Cum dixerim ob peccata nostra nos puniri a Deo, nunc dicam nos puniri a nobisipsis : utrumque verum est.

80. A Deo quippe punimur, sed ipsi facimus ut puniamur : cum autem punire nos ipsi facimus, cui dubium est, quin ipsi nos nostris criminibus puniamus?

81. Quia quicunque dat causam qua puniatur, ipse se punit. Lib. 8 *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 82. Impunitum esse, inter mala connumerari et dicitur et auditur : igitur punitum esse, in bonis censebitur. Epist. 44 *ad Joan.*

S. THEODOR. 83. Maxima consolatio iis est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio. Sectione 2 super *Ezech.*, inillud : *Et scietis, quia ego Dominus.*

S. THOMAS AQUINAS. 84. Punitio malorum est acerba, justa, et diuturna. Super II *ad Thessalon.*, cap. 1, lectione 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 85. Prohibenda maxime est ira in puniendo : nunquam enim tantum iratus, qui accedet ad puniendum, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum. Lib. 1 *Offic.*

86. Optandum est, ut hi qui præsunt reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum, non iracundia, sed æquitate ducuntur, *Ibid.*

87. Qui injuste agunt, puniantur, ut illorum exemplo cæteri pœnarum illis inflictarum terrore concutiantur. Sizygia 2, in *Dialogo Protagoræ.*

88. Nemini unquam scelus impune cedat : sed vel exilio, vel morte, vel vinculis, vel verberibus luat. Sizygia 4, lib. 9 *de Legib.*

89. Quantum admisit reus, tantum est vindicandum. Lib. 2, epist. 11 *ad Arrianum.* PLINIUS II.

90. Aliquando castigatio necessaria est, sed hæc sincera, cum ratione : non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Lib. 1 *de Ira*, cap. 5. SENECA.

91. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. *Ibid.*, cap. 16.

92. Satis est pœnarum, potuisse puniri. *De Moribus.*

93. Execrabile tibi sit, etiam juste, vindicandi scilicet causa, aliquid punire. *Sententia* 252. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Correctio*, sent. 52; *Exemplum*, sent. 59; *Finis*, sent. 43; *Iniquitas*, sent. 62; *Invitus*, sent. 37; *Judicium in genere*, sent. 46; *Justitia Dei*, sent. 16; *Mandatum Dei*, sent. 29; *Pastor*, sent. 11; *Peccatum in genere*, sent. 155, 233, 371; *Pœna*, per totum; *Prælatio*, sent. 104; *Regimen*, sent. 55, 56; *Remuneratio*, sent. 9.

PURGATORIUM.

Definitio. Ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam et satisfactionem condignam, affliguntur. Part. 7 *Breviloquii*, cap. 2. S. BONAV.

Purgatorius ignis est locus in prima correctione minus correctorum, et in secunda perficiendorum. Lib. 1 *de Sacramentis*, part. 8, cap. 2. HUGO A S. VICTORE.

Ignis purgatorii est, ubi purgabitur quod hic non purgatur. Super *Matth.*, cap. III. HUGO CARD.

Purgatorium est carcer, in quo detinentur amici nostri, et parentes nostri mortui. Part. 4, serm. 2 *pro Defunctis.* JOAN. GERS.

Purgatorius ignis est, per quem in salvandis peccati rubigo consumitur. Part. 1 *de Judiciaria potestate.* RICHARD. A S. VICTORE.

Purgatorium est domus plena ignis, qui virtute divina cruciat animas magis, quam si essent in furno ardenti. Part. 1, serm. 2 *Dom. Sexagesimæ.* S. VINCENT. FERRAR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ad proximos, qui sunt in purgatorio, vera habenda est compassio, ut eos a tanta acerbitate pœnarum, quas sustinent, dignetur Deus eripere. *De Paradiso animæ*, part. 1 *de Virtut.*, cap. 12. S. ALBERTUS MAGNUS.

2. Videmus quosdam aliquibus peccatis obnoxios virginitatem corporis usque ad mortem servasse, quos credimus per ignem purgatorium esse S. AMBROS.

purgandos, ut in justorum numero quandoque adscribi mereantur. Super *Apocal.*, cap. XIV.

3. Multos fine mundi instante ignis purgatorius purgando cremabit, sed ante judicium absoluti, in sanctorum collegio recipientur. *Ibid.*, cap. XX.

4. Sicut aurum quod ex aliis permixtionibus sordidum efficitur, per ignem purgatur : ita et defuncti a sordibus, quas ex mundanis actibus contraxerunt, per ignem purgatorii mundantur. *Ibid.*, cap. XXI, in illud : *Habens fundamenta duodecim.*

S. ANTONIN. 5. Animæ cum separantur a corporibus, quia secum portant aliquid infectionis : vadunt ad locum temporalis purgationis. Part. 1, tit. 5, cap. 5.

6. Sciendum est quod cum anima recedit a corpore, si non est plene purgata, et libera ab omni culpa, et debito pœnæ, non est idonea ad intrandum regnum cœleste : sed est medius locus, qui purgatorium dicitur, quo destinatur ob sui purificationem ad tempus. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

7. Sunt quatuor animarum pœnæ, quæ sunt in purgatorio : prima est ex privatione visionis Dei ad tempus ; secunda est ex insultatione et visu dæmonis; tertia est ex cruciatione materialis ignis; quarta est ex consideratione negligentiæ subventionis. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

8. Animæ educuntur de purgatorio, primo, per modum intercessionis ; secundo, per modum redemptionis ; tertio, per modum propriæ solationis; quarto, per modum alienæ pro eis afflictionis. *Ibid.*, cap. 5, § 3.

9. Sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat : sic idem ignis et reprobos cruciat et electos purgat. Part. 1, tit. 8, cap. 1, § 4.

10. Duabus causis anima recedens a corpore sustinet pœnam purgatorii, vel quia moritur cum venialibus, vel ex eo quod quis non satisfecit plene pœnis debitis pro peccatis suis, moriens tamen in gratiæ statu. *Ibid.*, tit. 10, cap. 2, § 1.

S. AUGUST. 11. Nonnullos fideles latet per ignem purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salvari. In *Enchirid.*, cap. 69.

12. Qui agrum non coluerit, id est, animam suam non mundaverit, et spinis eum opprimi permiserit, habebit in hac vita maledictionem terræ suæ, et post hanc vitam habebit vel ignem purgatorium, vel pœnam æternam. Lib. 2 *de Genesi, contra Manich.*, cap. 20.

13. Nec purgatorium sentiunt, qui in fine baptizantur. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 17.

14. Prius purgandus est in igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit, fructum conversionis. *Ibid.*, cap. 18.

15. Ignis purgatorius et si æternus non sit, miro tamen modo est gravis : excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita. *Ibid.*

16. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, quanta in purgatorio, licet mirabilia passi sint martyres tormenta, et multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. *Ibid.*

17. Studeat quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam purgatorii tolerare. *Ibid.*

18. Gravior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Super *Psalm.* XXXVII.

19. Ita peccata in hoc sæculo purgentur, ut in futuro ignis purgatorius, aut non inveniat, aut certe parum inveniat quod exurat. Serm. 4 *pro Defunctis.*

20. Tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur. *Ibid.*

21. Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. *Ibid.*

22. Domine, in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit. Super *Psalm.* XXXVII.

23. Incredibile non est nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. *De octo Dulcitii quæstionibus*, quæst. 1.

24. Infans si sacramenta mediatoris acceperit, nulla post mortem purgatoria tormenta patietur. Lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16.

25. Terrenas deserere sortes, et necdum obtinere cœlestem, afflictio intolerabilis est, et inconsolabilis dolor. In *Declamat.* S. BERNARD.

26. Tria sunt loca; quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur : infernus, purgatorium, cœlum : in inferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. *Prosec.*

27. Quia primi redimi non possunt, tertii redemptione non indigent, restat ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Serm. *de Quinque negotiat.*

28. Heu! utinam mille annis potius in purgatorii igne essem cruciandus, quam Dominus Jesus a me esset offensus. Serm. 3 *in Cœna Domini.*

29. Quædam supplicia post defunctum morte corpus relinqui manifestum est, et magna quidem : quorum alia pœnali acerbitate injustis, alia vero purgatoria, scilicet justis. Lib. 4 *de Consolat. philos.*, prosa 4. BOETIUS

S. BONAV. 30. Quanto minus satisfaciunt in mundo, tanto plus tarde conversi ardebunt in purgatorio. Serm. in die *Cinerum.*

31. Quid mirum, si perfecti purgatorium non transeant, qui purganda omnia vitant, et fugiunt. Serm. 12 *Pent.*

32. Qui est in statu salutis, et sufficienter se in præsenti non punit, ad ignem purgatorii, velit nolit, perveniet. Serm. 1 *de S. Laurentio.*

33. Ignis purgatorii pœna est gravior, quam quidquid in hac vita portari ab aliquo potest : et est hac præsenti diuturnior, et est hac temporali pœna infructuosior. *Ibid.*

34. Animabus purgandis carcer purgatorii reddit meritum impossibile, jugum ineffugabile, debitum insolubile, incendium intolerabile. Serm. *de Animabus.*

35. Nemo ad forum purgatorii admittitur, qui forum Ecclesiæ contempsit. Super lib. 4 *Sent.*, dist. 17, part. 1, art. 1, quæst. 4.

36. Pœna purgatorii est maxima pœnarum omnium, quas sustineat anima carni modo conjuncta. *Ibid.*, dist. 20, part. 1, art. 1, quæst. 2.

37. Gravissima pœna, quæ in hoc mundo tolerari potest, minor est pœna purgatorii. Tit. 10 *Diætæ*, cap. 1.

S. BRUNO. 38. Multi in diuturna pœna purgatoria usque in diem judicii punientur. Super *Psalm.* VI, vers. 1.

S. CÆSARIUS ARELAT. 39. Illo transitorio igne, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Homil. 8.

40. Quicunque aliqua de peccatis criminalibus in se dominari cognoverit, nisi digne pœnitentiam egerit, et a peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne purgari non poterit, sed æterna flamma cruciabitur. *Ibid.*

41. Quidquid de minutis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est. *Ibid.*

42. Ita peccata in hoc sæculo purgentur, ut in futuro ille ignis purgatorius, aut non inveniat, aut parum inveniat quod exurat. *Ibid.*

43. Ipse purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest pœnarum in hoc sæculo, aut cogitari, aut videri, aut sentiri. *Ibid.*

CASSIODOR. 44. Iste ignis non consumptorius, sed purgatorius est : datur enim argenti exemplum, quod igne ideo decoquitur, ut purius inde reddatur. Super *Psalm.* LXV, vers. 9.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 45. Si omnes, quæ in mundo sunt, cogitari possunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori quæ in purgatorio habetur pœnæ et tormento comparentur, solatia erunt. *Prosec.*

46. Mallet quilibet viventium, si illas experientia nosceret pœnas usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc usque sigillatim pertulerunt, quam uno die in purgatorio, minori quæ illic habetur pœna torqueri. Epistola *ad Augustinum, de miraculis Divi Hieronymi.*

47. Nihil inter se differunt, quia eadem sunt magnitudine pœnæ purgatorii et inferni : sed unum est, quod differre possunt, quia infernales finem non expectant, et purgatorii pœnæ sunt cum fine. *Ibid.*

48. Qui non discessit a fundamento, nec aliquid prætulit Deo, sed ultimo fini magis inhæsit, quam alicui bono creato : si a terrenis non fuerit satis mundatus, per ignem purgatorii transibit ad gloriam. Super *Epist.* I *ad Corinth.*, cap. III, art. 3. DIONYSIUS CARTHUS.

49. Damnatorum Christus caput non est, sed existentium in purgatorio caput veraciter appellatur. Super *Epist. ad Ephesios*, cap. I, art. 1.

50. Defuncti salvandi in locis purgatoriis sunt, ubi angeli boni ad eorum consolationem descendunt. Super *Apocalypsin.*, cap. V, art. 6.

51. Ignis transitorius est, ignis purgatorius Homil. 8. S. ELIGIUS.

52. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseunti mora. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

53. Quantum accreverit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis disciplina.

54. Et quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens purgatorii pœna desæviet.

55. In illos vero sævis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit : et quibus puritas contulit reverentiam, inferre nesciet rationabilis ardor injuriam. Homil. 3 *Epiph.*

56. Flamma purgatorii non tam reum persequitur, quam reatum : et si modus fuerit delictorum, erit et mensura cruciatuum. Homil. 1 *ad Monachos.*

57. Purgatorii pœna excedit omnem pœnam, quam hic quis possit sustinere. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

58. Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad paradisum redire desiderant. Super *Ecclesiastic.*, cap. III. GLOSS. ORD.

59. Ignis tamdiu durabit, quousque purgati sint, qui salvandi erunt. Super I *Cor.*, cap. III.

60. Hunc ipsum ignem purgatorium credimus in quo purgantur animæ, perinde atque aurum in conflatorio. *Ibid.*, cap. 3.

61. Credimus hunc ignem esse καθαρσίων, id est, expiatorium, in quo defunctorum animæ purgantur et repurgantur, sicut aurum repurgatur a scoria in fornace. *Ibid.*

62. Sancti, si quid eis purgandum sit per ignem purgabuntur. Super II *Petr.* III.

S. GREGOR. MAGNUS.

63. Sunt quorumdam justorum animæ, quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 25.

64. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est. *Ibid.*, cap. 39.

65. Post hujus vitæ exitum, alii flammis expiantur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeunt damnationis. Super *Psalm. septem Pœnitentiales*, in *Psalm.* III.

66. Illum purgatorii transitorium ignem, omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem. *Ibid.*

67. Qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris hic nequaquam habuerunt. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 3, super illud Luc. XXIII : *Hodie mecum eris in paradiso.*

S. GREGOR. NYSS.

68. Qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur : sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis, credendus est. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 39.

69. Post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris hic nequaquam habuerunt. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 3, super illud *Luc.* XXIII : *Hodie mecum eris in paradiso.*

70. Vitia post obitum per expurgantis ignis fornacem expiantur, ut ad pristinam redire valeat anima felicitatem. *De Mortuis.*

71. Non poterit divinitatis particeps fieri e corpore animus egressus, nisi maculas sibi immixtas purgatorius ignis abstulerit. *Ibid.*

72. Necesse est, ut dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate unita est, in igne sit. *De Anima et resurrectione.*

S. HIERON.

73. In diversa ministeria angeli mittuntur, maximeque ad eos qui purgatione indigent, et ob pristina peccata, aliqua ex parte suppliciis purgari merentur. Epist. 20 *ad Damas. Pap.*

74. Christianorum opera in igne probanda sunt, atque purganda. In fine *Commentar. in Isaiam.*

75. Genus humanum dum a vermibus consumitur, purgatorio igne examinatur. Super *Marc.*, cap. IX, can. 10, num. 101, super illud : *Et omnis victima.*

HUGO A S. VICTORE.

76. Perfecti statim ad cognitionem summi boni transeunt, in quo est æterna beatitudo : minus autem perfecti antequam ad æternam beatitudinem perveniant, per pœnas purgatorias transeunt. *De quæst. circa Epist.* I *ad Cor.*, quæst. 4.

77. Minutissima pœna purgatorii, gravior est qualibet pœna temporali. *Ibid.*

78. Firmiter credere debemus, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur : aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet, aut Dominus pie per flagellum suum purgat, aut post mortem igne purgatorio purgebitur, aut in ignem descendet æternum. Lib. 4 *de Anima*, cap. 17.

79. Ignis purgatorius recte terra plena correptione et correctione Domini dicitur : quia in eo plenariam correptionem Domini sentiunt, et correctionem accipiunt, qui in hoc mundo a peractis peccatis recedentes, plenaria satisfactione se purgare neglexerunt, vel certe morte præventi non potuerunt. Serm. 68 *de Divers.*

80. Est quædam pœna post mortem, quæ purgatoria dicitur; in qua qui ab hac vita cum quibusdam culpis (justi quidem, et ad vitam prædestinati) exierunt, ad tempus cruciantur, ut purgentur. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 16, cap. 4.

81. Post mortem ignis quidam purgatorius dicitur, ubi purgantur et mundantur qui hic corrigi cœperunt, et non pertecerunt : qui autem in hac vita nec incipere voluerunt, ibi consummare non possunt. *Ibid.*, part. 14, cap. 3.

82. Durum est purgatorii tormenta vel ad modicum sentire. *Ibid.*

HUGO CARD.

83. Qui pro Christo terrena abjiciunt, non statim cum moriuntur, ad cœlum evolant, sed quandoque igne purgantur. *Prosec.*

84. Qui vero pro Christo moriuntur, statim in cœlum ascendunt; quia face martyrii resecatur quidquid purgandum erat. Super *Matth.*, cap. V.

85. In mundo magna est tribulatio, sed major erit in purgatorio, et maxima in inferno. Super *Apocal.*, cap. 7.

S. INNOC. III

86. Salvabuntur, qui transibunt per ignem purgatorii. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 1.

87. Domine, non punias me in purgatorio igne, in quo tanta erit incendii vehementia, quod quasi furere videberis : cum minor pœna quæ erit in purgatorio censeatur major quantalibet pœna, quæ est in hoc mundo. *Ibid.*

JOAN. GERS.

88. Si peccator tardaverit agere pœnitentiam in hac præsenti vita, ille adjudicabitur vel pœnitentiæ severæ et formidabili in purgatorio, vel pœnitentiæ infructuosæ et horribili in inferno. In prima lect. *de Pœnit.*

JOAN TRITH.

89. Venialia deleri confidimus in purgatorio. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, tex. 16.

90. Nemo vestrum dicat, quod plures imperiti homines dicere consueverunt : Sufficit mihi, si anima mea purgatorii pœnas consecuta fuerit. *Prosec.*

91. Credite mihi, fratres, quicunque hoc ver-

bum ex animo dixerit, quid futurum sit purgatorium, non perpendit.

92. Nescit enim quid petat qui purgatorium desiderat. Stultissimus omnium hominum est merito judicandus, qui satisfacere in hac vita cum posit Deo pro peccatis, differt ad futuram. Lib. 1, homil. 18, *ad Monachos.*

ORIGENES.

93. Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum credimus æterna tormenta : sic peccatorum et tamen christianorum, quorum probanda sunt atque purganda in igne opera moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis. Homil. 10 *in Diversis.*

PETR. BLES.

94. Pro purgatorio mihi est vicissitudo febrilis caloris et frigoris : spero autem in eo, qui spes nostra est, quod non consurget duplex tribulatio. Epist. 31, *ad Abbat. de Fontanis.*

95. Hi, qui cum ligno, fœno, et stipula de mundo transeunt, in purgatorio poliuntur. *Ibid.*, serm. 35 *de Festo omnium Sanctorum.*

96. Fideles cum transierint, quod humidum erit in eis, igne purgatorio siccabitur. *Ibid.*, serm. 40.

RICHARD. A S. VICTORE.

97. Quia nullum peccatum est impunitum, oportet ut expietur, aut in hac vita juxta arbitrium sacerdotis per dignum pœnitentiæ fructum, aut in vita futura, juxta divinum arbitrium per ignem purgatorium. Part. 1 *de Potest. ligandi et solvendi*, cap. 6.

98. Per incendium purgatorii ignis, scoria peccati excoquitur. *Ibid.*, cap. 25.

ROBERTUS A SORBONA.

99. Si paradisum velis ingredi, et in vita non plene satisfeceris, oportet ut illum ignem purgatorii sentias. In *Libello itineris paradisi.*

100. Pœnitentiam, quam justus in vita sua præsenti complere non poterit, in purgatorio perficiet. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS.

101. Pœna purgatorii temporalis est, quamvis quantum ad æternam retributionem nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam. In *Supplem.*, part. 3, quæst. 71, art. 6.

102. Certum est post hanc vitam esse quasdam purgatorias pœnas, quibus pœnitentiæ implentur non impletæ. In *Compendio theologiæ*, cap. 181.

103. Pœna purgatorii est gravissima propter conditionem patientis animæ. Super 4 *Sent.*, dist. 21, art. 1, ad. 4.

104. Longæ vigiliæ, longæ lectiones, horæ diurnæ, silentium, labor et jejunium, breve faciunt purgatorium. Serm. 6 *ad Novit.*; divis. 3.

THOMAS A KEMPIS.

105. Melius est modo purgare peccata, quam in futuro purganda reservare : habet magnum et salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias, plus dolet de alterius malitia, quam de sua injuria. Lib. 1 *de Imitatione Christi*, cap. 24, sect. 2.

106. Melius est nunc parum et salubriter pungi, quam postea tam acerba luere tormenta purgatorii. In *Soliloq. animæ*, cap. 3, sent. 3.

S. VINCENT. FERRAR.

107. Illi qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur, et propter hoc erroneum est, et a fide alienum. Serm. 3 *Dom.* 1 *Advent.*

108. Pœna purgatorii minima, excedit maximam pœnam hujus vitæ. *Ibid.*

109. Christus intrans purgatorium, omnes animas liberavit. Serm. *in Sabbato sancto*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

110. Solutio animæ vinclis corporis, est causa ascensus illustrationisque : descensio obscurationis, quæ nihilominus purgata sursum ascendit : atque hujus descensionis causæ sunt plurimæ; quarum prima est peccatum commissum ab anima, quapropter descendit ad luendam pœnam. Lib. 1 *Theolog.*, cap. 5.

PLATO.

111. Qui sanabilibus quidem magnis peccatis obnoxii esse constiterint, et in reliqua vita egerint pœnitentiam, in tartarum incident; postquam autem ibi annum, vel plus, vel minus, ut purgentur, fuerint commorati, tum egrediuntur, et ab illis malis liberantur, atque solvuntur tanquam carceribus quibusdam; in superiorem vero illam puramque regionem, quæ terræ supereminet, in qua ad incolendum sedes sunt illis constitutæ, perveniunt, quas non est facile explicare. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis.*

SIXTUS PHILOSOPH.

112. Male viventes, cum e corpore excesserint, cruciabit malus dæmon, usquequo etiam novissimum quadrantem exigat ab eis. *Sent.* 34.

PURITAS.

HUGO A S. VICTORE.

Definitio. Munditia seu puritas, est consummata integritas utriusque hominis intuitu divini vel amoris, vel timoris. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Possessio pretiosa, homo mundus. Super *Psalm.* XXXVII.

S. ANTONIN.

2. Puritas in creatura rationali, est Deo gratissima : in qua tamquam in suo consimili congaudet et quiescit. Part 4, tit. 4 *de Temperant.*, cap. 6, § 1.

S. AUGUST.

3. Ad majora mentem, nisi pietas puritasque non perducit. *De Moribus Manichæorum*, cap. 7.

4. Mens pura et sancta paradisus est deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, et suaviter cœlesti gratia irrigata. Serm. 10 *ad Fratres in eremo.*

5. Nullus est in hac vita sic mundus, ut non sit magis, magisque mundandus. Tract 80 super *Joan.*

6. Mundissimo Domino, mundissima debetur habitatio. Lib. *Medit.*, cap. 35.

S. BERNARD. 7. Tria sunt necessaria puritati : integritas actionis, simplicitas intentionis, tranquillitas devotionis. In suis *Sententiis*, cap. *Tria.*

8. Puritas tria confert : spiritum libertatis, gaudium securitatis, firmitudinem charitatis. *Ibid.*, cap. *Puritas.*

9. Puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus gloriolas perfecte respuerit. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem archiepiscopum.*

10. O vere felices! qui Christo, non solum animi, sed etiam corporis munditiam consecraverunt. Lib. *de Passione Domini*, cap. 30.

S. BONAV. 11. Puritas via est regia, per quam ad sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam pervenitur. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

CASSIODOR. 12. Illud recte speciosum dicitur, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur. Super *Psalm.* XLIV, vers. 3 : *Speciosus forma.*

DIDYMUS. ALEX. 13. Mens pura et sermo purus, thronus ac templum verum Dei est. Habetur apud D. Joannem Damascenum, lib. 2, *Parall.*, cap. 78.

GILLEBERT. ANGLUS. 14. Puritas veritatis socia est, et comes est, et prævia est. Serm. 5 *super Cant.*, *apud. D. Bernard.*

GLOSS. ORD. 15. Non est purus, qui mala ageret, si liceret. Super *Job*, cap. IX.

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Nihil est ad defendendum puritate tutius. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 12.

17. Omnipotenti Deo reus est, qui in omni quod agit et loquitur, purus non est. Lib. 2 in *Registro*, indict. 11, cap. 100, epist. 61, *ad Mauritium augustum.*

S. GREGOR. NAZ. 18. Nihil adeo puro est dignum, quemadmodum puritas et purgatio. Orat. 2 *in præsentia S. Basilii.*

19. Abominabile est, quæ pura sunt, impura manu contingere. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. GREGOR. THAUMAT. 20. Res maculæ omnis expertes, impura manu contrectare, nefarium et execrabile est. Super *Eccles.*, cap. VII.

S. HIERON. 21. Tota puritas debet in christianis esse, sicut Deus pura lux est. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 12, in illud : *Dilectio sine simulatione.*

HUGO A S. VICTORE. 22. Puritas esse non potest, nisi ubi verum est; puritas in vero. Lib. 7 in cap. 7 *Cælestis hierarch.*

23. Ubi est puritas mentis, ibi non apparet pulvis terrenæ cupiditatis. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 23.

HUGO CARD. 24. Maxime inter lilia puritatis satiatur et delectatur sponsus Christus, et aspectu pulchritudinis, et odore suavitatis: et tactu lenitatis. Super *Cant.*, cap. II.

25. Puritas cordis in duobus consistit scilicet : in quærenda gloria Dei; in quærenda utilitate proximi. Super I *Tim.*, cap. I.

JOAN. CAS. 26. Quidquid potest mentis puritatem turbare, quamvis utile ac necessarium videatur, ut noxium evitandum est. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Optimum institutum est vita pura, hoc unum fundamentum est virtutis : quod qui recte jecerit, facile consequetur alia omnia. Homil. 60, super *Gen.*

28. Ipsa luce mundior est, et illustrior vitæ puritas. Homil 24 *ad Populum Antioch.*

JOAN. TRITH. 29. Non potest servari puritas mentis, sine custodia corporis. Super *Prolog. Regul. S. Benedicti*, cap. 2, text. 28.

S. LEO I. 30. Quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in pulvere? quis postremo est tantæ puritatis, ut iis non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Serm. 11 *Quadrag.*

ORIGENES. 31. Quanto purior anima redditur, tanto largior ei spiritus infunditur. Lib. 7 in cap. 8 *Epist. ad Rom.*

PHILO JUD. 32. Nihil purificatam mentem majore afficit lætitia, quam quod Dominum habet, quem agnoscit Regem rerum omnium. Lib. *de Cherubim.*

33. Volens Deus purificare hominis animam, primum offert ei perfectæ salutis occasionem, migrationem a corpore, sensu atque ratione. *De Migrat. Abraham.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 34. Perpurgati animi decus, et pulchritudinem intueri nequeunt, qui puri non sunt. Serm. *de Dono astrolabii.*

S. VALER. EPISC. 35. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat : ut manente utriusque partis beneficio, immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Homil. 1 *de Bono discipl.*

36. Vita nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota : integritas religioni, pudor serviat humilitati. *Ibid.*

IN VITIS PATR. 37. Charitas, et taciturnitas, et occulta meditatio operantur puritatem. In *Sent.*, sent. 77.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 38. Non per se beatum est, malo caruisse; sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cœlestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Lib. 1 *Quæstionum*, in Præfatione.

SYXTUS PHILOSOPH. 39. Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum acceperis a Deo, et sicut vestimentum corporis immaculatum servare stude. *Sent.* 429.

40. Templum sanctum est Deo, mens pii : et

altare est optimum ei, cor mundum et sine peccato. *Ibid.*, sent. 40.

Vide etiam tit. *Conscientia*, sent. 37; *Cordis puritas*, per totum; *Maria*, sent. 211; *Profectus*, sent. 107; *Scandalum*, sent. 13.

PURITAS CORDIS.

Vide CORDIS PURITAS.

PUSILLANIMITAS.

S. ANTONIN. *Definitio.* Pusillanimitas est vitium quo quis inordinato timore se subtrahit ab operibus bonis, quæ posset et debet agere. Part. 2, tit. 9, *de Accidia*, cap. 16.

S. BONAV. Pusillanimitas est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum; sive de propriis viribus immoderate diffidens. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 21.

HUGO A S. VICTORE. Pusillanimitas est ex rerum adversarum tædio iners et inconsiderata fracti animi dejectio. *De Fructu carnis et spiritus*, cap. 7.

S. THOMAS AQUINAS. Pusillanimitas peccatum est, quo quis ea non attentat quæ suæ naturali virtuti sunt commensurata. 2, 2, quæst. 133.

S. ANTONIN. *Productio.* Pusillanimitas est filia acediæ. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 16.

Pusillanimitas ex animi parvitate procedit. Part. 3, tit. 16, cap. 7, § 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

BASILIUS MAGNUS. 1. Nullus abjecti animi coronatur, nullus tristis trophæum erigit. Conc. 1 *de Jejunio.*

S. BERNARD. 2. De pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas generatur. Serm. 3 *Quadrag.*

3. Damnandis et reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, et illa interimit. Epist. 32, *ad Abbatem S. Nicasii Rhemensis.*

4. Pusillanimis mens rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum divinis laudibus. Serm. 10 super *Cantica.*

S. BONAV. 5. Multa inhonesta et indigna committere, pusillanimitas facit. Lib. 4 *Pharetræ*, cap. 42.

S. GREGOR. MAGNUS. 6. Sunt nonnulli, qui cum cœlestia appetunt, atque hujus mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. *Prosec.*

7. Quibus hoc nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur?

8. Hi quippe ad conversionem venientes, non tales quales cœperunt perseverant, et quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt : quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum.

9. Sensim quippe in eis desideria superna languescunt, et qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant, dumque ætatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Lib. 19 *Moral.*, cap. 6, super illud : *Et sicut palma multiplicabo dies.*

10. Pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, quam protervos. In *Pastor.*, part. 3, cap. 1, admonit. 9.

11. Infirmi sæpe in desideriis suis, si quæ eis fuerint ex adverso objecta, languescunt : et cum valida tribulatione pulsantur, pusillanimitate deficiunt. Lib. 26 *Moral.*, cap. 10, num. 10.

12. Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc leve remunerationis spes ostendit. Habetur apud D. Bonavent., serm. 4 *in die Ciner.*

S. HIERON. 13. Jacentis est animi, formidolosa timere : et inertis est, tuta sectari. Epist. 6, *ad Amicum.*

14. Pusillanimitas, patientiæ contraria est. Lib. 3 super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Fructus spiritus est pax.*

S. JOANNES CHRYSOST. 15. Qui sibi male conscius est, semper pusillanimis ac timidus est. Homil. 52 super *Matth. Oper. imperf.*

16. Dejecti animi nec adversus paupertatem, nec adversus opes consistunt : æque tristitia et gaudio succumbunt. Adeoque secundis magis, quam adversis periclitantur. Homil. 35 super I *Cor.*

17. Pusillanimitas simul et desidia perditionem multam afferunt. Homil. 10 super I *Thess.*

18. Qui convicium non fert, pusillo est animo : et qui tentationem non sustinet, pusillanimis est. *Ibid.*

19. Non credendo pusillanimitas efficitur. Homil. 19 super *Epist. ad Hebr.*

ORIGENES. 20. Languor animæ pessimus, est pusillanimitas. Homil. 27, in cap. XXXIII *Numerorum.*

PETRUS BLESENS. 21. Nutrimentum pusillanimitatis est otium. Epist. 94, *ad Joannem archidiac.*

RICHARDUS A S. VICT. 22. Sunt quidam pusillanimes, qui si aspere arguantur, de eo quod deliquerunt, pondere timoris depressi, in mœrorem nimiæ tristitiæ semetipsos mergunt. Part. 2, lib. 2, super *Apocal.*, cap. 5.

THOMAS A KEMPIS. 22. Multum impedit pusillanimitas cordis, cito amittere facit confidentiam in adversis, negligere sanctum propositum, revolvere sæculi statum. Serm. 5 *ad Novit.*, divis. 3.

IN VIT. PATR. 23. Crede mihi, fili, olympici corpore et robusti sumus : sed anima nostra imbecilla est. Lib. 10, cap. 168.

24. Homo habens mortem præ oculis omni ho-

ra, vincit pusillanimitatem. In *Sententiis in fine positis*, sent. 94.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 25. Is qui deficit, pusillanimus est. Lib. 4 *Etich. ad Nicomach.*, cap. 3.

26. Pusillitas parvitasque animi, vitium est : per quod fit, ut neque fortunam, nec infortunium, neque nomen, nec ignominiam ferre possit. Lib. 1 *de Virtutibus*, cap. 3.

VALER. MAX. 27. Enerves animos odisse virtus solet. Lib. 2 *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

QUÆRERE DEUM.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio.* Quid est quærere Deum, nisi eum qui imperfecte habetur, imperfecte cognoscitur et amatur, velle perfectius obtinere, clariusque cognoscere, et magis ferventer diligere ? *Prosec.*

Deum quærere sinceriter, est in hac ejus quæsitione ac cultu irreflexe ferri in ipsum.

Et qui in hac quæsitione stabilis permanet, nec prosperis, nec adversis, nec ulla tentatione, suggestione, seu aliomodo inde deflectens, imo in hac usque in finem crescens ; ille quærit Deum constanter et veraciter. In *Exhort. ad novit.*, art. 3.

HUGO CARD. Quærere Deum, est toto corde Deo adhærere. Super *Psalm.* LXXI.

S. BONAV. *Divisio.* Deus tripliciter exquirendus est : primo in cogitationibus ; secundo in delectationibus ; tertio in operationibus. Exposit. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, art. 2, vers. 10.

HUGO A S. VICTORE. Tripartitum est genus quærentium Deum : alii quærunt, et non inveniunt ; alii quærunt et inveniunt, sed non retinent, quia non quærunt ut habeant, sed vendant : alii quærunt, et inveniunt, et retinent. *Prosec.*

Primi quærentes, nullo modo inveniunt : secundi vivum inveniunt, et occidunt : tertii mortuum quærunt, et vivum inveniunt. Lib. 3 *Miscellan.*, codicis 2, tit 17.

HUGOCARD. Tripliciter Deus quærendus est: Veraciter, id est, vera fide ; ferventer, id est, ferventi animo ; perseveranter, id est, firma fide. Super *Sap.*, cap. 1.

Quæritur Deus tripliciter, per bonam operationem, per fidem, per contemplationem. Super *Threnos*, cap. III.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Adest Christus, nec unquam iis, a quibus quæritur deest. Lib. 3 *de Virginibus.*

2. Nequaquam ibi quæramus Christum, ubi invenire non possumus. *Prosec.*

3. Non est Christus circumforaneus ; Christus enim pax est, in foro lites : Christus justitia est, in foro iniquitas ; Christus operator est, in foro inane otium : Christus charitas est, in foro obtrectatio : Christus fides est, in foro fraus atque perfidia : Christus in Ecclesia, in foro idola. *Ibid.*

4. Virgo, quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. *Ibid.*

5. Tu cum cœperis Christum quærere, adest : neque enim fieri potest, ut desit quærentibus se, quia palam factus est non quærentibus, et inventus est non interrogantibus. In *Exhort. ad Virgines.*

6. Beatus qui ita quærit Christum Dominum, ut credat eum et in paradiso constitutum, et in cœlestibus collocatum. *Prosec.*

7. Nam qui eum aut in infernis requirit, aut in tumulis, dicitur ei, *Quid quæris viventem cum mortuis ?* Serm. 57, *de Sepulchro Domini.*

8. Cum dicit David, *Quæram*, sine fine dicit esse quærendum : sed non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 5, vers. 1.

9. Bonum est Deum quærere ; sed plerumque quidam ipsius inquisitionis anfractus et error obrepit. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud *Joan.* XVII : *Ut cognoscant te solum verum Deum.*

10. Nemo invenit, nisi qui ante quæsierit. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, in illud : *Cui simile æstimabo.*

11. Adest Christus quemadmodum quæritur, nescitur qui quæritur, quando non agnoscitur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 24, in illud : *Quem quæris ?*

12. Eia tu, Domine Deus meus, doce cor meum S. ANSELM. ubi et quomodo te quærat, ubi et quomodo te inveniat. *Prosec.*

13. Domine, si non es hic, ubi te quæram absentem ? si ergo ubique es, cur te non video præsentem ? In *Prosologio*, cap. 1.

14. Quid faciet, Domine, servus tuus ? invenire te cupit, et nescit locum tuum : quærere te affectat, et ignorat vultum tuum. *Ibid.*

15. Doce me quærere te, et ostende te quærenti : quia nec quærere te possum, nisi tu doceas me : nec invenire, nisi te ostendas mihi. *Prosec.*

16. Quæram te desiderando, desiderem quærendo, inveniam amando, amem inveniendo. *Ibid.*

17. Gloria es te, Deus, quærentibus, gaudium invenientibus. In *Meditationibus.*

18. Qui das quærere, da et invenire : doces pulsare, aperi pulsanti. *Ibid.*

19. Quærite quod quæritis ; sed ibi non est, S. AUGUST. ubi quæritis eum. Lib. 4 *Confess.*, cap. 12.

20. Beatus errare non potest, cum quærit Deum : quia ut non erret, quærit. Lib. 1 *Academ.*, cap. 4.

21. Spiritus immundus potest ne Deum quærere ? qui Deum quærit, id facit quod Deus vult, et bene vivit, et spiritum immundum non habet. *De beata vita*, disput. 2.

22. Nemo potest pervenire ad Deum, nisi Deum quæsierit. *Ibid.*

23. Beatus est ille qui Deum quærit. *Ibid.*

24. Qui Deum quærit, nondumque invenit, non est sine Deo. *Ibid.*

25. Favet Deus quærenti sese homini. *Ibid.*

26. Qui Deum quærit, male vivere non potest. *Ibid.*

27. Habet, qui Deum quærit, Deum propitium ; et omnis qui habet Deum propitium, beatus est. *Ibid.*

28. Ille quæratur, qui est omnium speciosissimus. *De vera religione*, cap. 11.

29. Unum certe quæramus, quo simplicius nihil est. *Ibid.*, cap. 35.

30. Quam pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum est id, quod quæritur! *De Morib. Eccles.*, cap. 7.

31. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur Deus. *Ibid.*, cap. 17.

32 Si quæratur Deus ut dignum est, subtrahere atque abscondere se a suis dilectoribus non potest. *Ibid.*

33. Multi ad quærendum pigri sunt. Lib. 1 *de Genesi, contra Manich.*, cap. 1.

34. Cum homines Deum quærunt, facillime debent ignoscere errantibus. Lib. 2 *de Trin.*, in Procemio.

35. Ecce Deus dilectio est, ut quid imus et currimus in sublimia cœlorum, et ima terrarum, quærentes eum, qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum ? *Ibid.*, lib. 8, cap. 7.

36. Tutissima est quærentis Deum intentio, donec apprehendatur quo tendimus, et quo extendimur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 1.

37. Sic quæramus Deum tanquam inventuri, et sic inveniamus tanquam quæsituri. *Ibid.*

38. Appetitus ille, qui est in quærendo, procedit a quærente, et pendet quodammodo, neque requiescit fine quo intenditur, nisi id quod quæritur, inventum quærenti copuletur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 12.

39. Quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 2.

40. *Quærite faciem ejus semper.* Fides quærit, intellectus invenit, et rursus intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. *Ibid.*

41. Sunt quidam quærentes Deum per exteriora, descrentes interiora sua, quibus Deus interior est. *De Spiritu et Anima*, cap. 51.

42. Deo nihil est secretius, nihil præsentius, qui difficile invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit, cum quo esse omnes possunt, et sine quo esse nemo potest. *De Quantitate animæ*, cap. 34.

43. Quisquis quærit auctorem, per quem aliquid discimus : auctorem profecto, per quem bene facimus, quærit. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 1.

44. Quam stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur! Lib. 1 *de Serm. Dom. in monte*, super illud : *Beati mundo corde.*

45. Si homo ita creatus est, ut per id quod in eo præcellit, attingat ad illud, quod cuncta præcellit, id est unum, verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit : ipse quæratur, ubi nobis omnia sunt secura : ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia : ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. Lib. 8 *de Civit. Dei*, cap. 4.

46. *Quærite faciem ejus semper.* Si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit, in tota vita ista, qua hic vivitur, ex quo nos id facere debere cognovimus, quando et inventus quærendus est? *Prosec.*

47. Jam Deum invenit fides, sed adhuc cum quærit spes : charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per speciem ; ubi tunc sic invenietur ut sufficiat nobis, et ulterius non quæratur. An forte etiam cum facie ad faciem viderimus cum sicuti est, adhuc perquirendus erit? Et sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Super *Psalm.* CIV, vers. 4.

48. Adest quem quæris, et illum quære, qui deesse nunquam potest. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 3 : *Salus tua ego sum.*

49. Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Ut inveniendus quæratur, occultus est : ut inventus quæratur, immensus est. Tract. 63, super *Evang. Joan.*, cap. XIII.

50. Propter carnem me quæritis, non propter spiritum : quæritis me propter aliud, quærite me propter me. *Prosec.*

51. Quam multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! vix quæritur Jesus propter Jesum. *Ibid.*, tract. 25, cap. VI.

52. Si ita flevit, et in fletu perseveravit mulier quæ quærebat filium, quomodo plangere et in planctu persistere debet anima quæ quærit Deum? In *Medit.*, cap. 36.

53. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi : et tu intus eras et ego